Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Decanus Facultatis Artium Et Philosophiae in Academia Lipsiensi Honores Supremos Philosophicos Candidatis XXXVIII. Die XXVII. Januar. A.O.R. MDCXCVIII. diribiturus Magnificum Academiae Rectorem ...

Lipsiae, 1698

urn:nbn:de:bsz:31-102635

Visual Library

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Gym 211

Ex
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

DECANUS
FACULTATIS ARTIUM
ET PHILOSOPHIÆ

in

ACADEMIA LIPSIENSI

HONORES SUPREMOS PHILOSOPHICOS

Candidatis XXXVIII.

Die XXVII. Januar. A. O. R. CIↃ IↃC XCVIII.

diribiturus

Magnificum Academiæ Rectorem

Illustrissimos Comites

Utriusque Reipublicæ Proceres

ac Cives Academicos

officiosissime invitat.

(1698)

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

QUæ multarum rerum ſors ſolet eſſe atque conditio, ut à quibusdam nimium æſtimentur, ab aliis contra flocci fiant, vel magis quam par eſt detrudantur, eandem & uſui principiorum rationis ac Philoſophiæ propriam eſſe deprehendimus. Etenim videre licet non paucos, qui in rebus ſacris principiorum rationis & Philoſophiæ uſum nimis admirari, eique pretium juſto majus ſtatuunt: nec deſunt etiam, qui omnem prorſus Philoſophiæ uſum è Theologia ſublatum cupiunt. Ex nimiis admiratoribus, ut antiquiorum mentionem nunc haud injiciam, primo in ſcenam mihi producendi ſunt Scholaſticæ Theologiæ doctores, qui nimium ſuum in Philoſophiam affectum orbi erudito ſat abunde comprobarunt. Quem enim latet, ipſos in intima Theologiæ adyta Philoſophiam admittentes non tantum diſtinctas has ſcientias perperam confudiſſe, atque horrendum aliquod chaos produxiſſe, ſed etiam quæſtiones fidei, quæ omnem humanæ rationis captum ſuperant, argumentis è Philoſophiâ depromtis adſtuere conatos fuiſſe. In quod malum non modò Noſtrates, ſed & multi ipſorum-

met

Gym 211

met Pontificiorum passim invehuntur. E quibus in præsenti duos tantum graphice loquentes audiamus. De Occamo celebri illo Nominalium Philosophorum Coryphæo *P. Langius*, Monachus, *in Chron. Citizens. p. 833.* ita disserit: *Occamus, Scholastici certaminis agonotheta excellentissimus, agmen peregrini exercitus, id est philosophicum, contra hostes Israël pugnans, in scripturarum campum adducit, sacrisque Theologorum copiis associat, sacra profanis, divinis humana, domesticis exotica, orthodoxis ethnica, cœca præsumtione commiscens & copulans; & adeo usque quidem, ut auxiliares domesticas pene excedant superentque copias, multo plures videlicet Philosophorum, quam divinæ paginæ in suis syntagmatibus autoritates producendo: quasi arma lucis, utpote scutum fidei, galea salutis, & gladius S. Spiritus, nec non utriusque instrumenti aurea testimonia ad resistendum diabolo & satellitibus ejus hæreticis minime sufficerent &c.* A quo non abit vir magni nominis *Erasmus in libro de methodo comp. perven. ad veram Theolog.* scribens: *Vehementer absurdum videtur, cum rem tractes ab omni sapientia mundana longè diversissimam, nihil crepare nisi Pythagoram, Platonem, Aristotelem, Averrhoem & his profaniores autores, ad horum dicta velut ad oracula obstupescere. Annon istud est Christi cœlestem Philosophiam non condire, sed prorsus aliam reddere. Taxatur Chrysippus quod totas tragœdias in ejus Commentariis, quos de Logicis conscripsit, reperire licuerit. Quo justius nos taxaverit aliquis, si videat plus quam totum Aristotelem in Theologorum Commentariis inveniri.* Hinc & idem *Erasmus in encomio Moriæ* Scholasticorum Theologiam ex divinis eloquiis & philosophicis rationibus tanquam ex centaurorum genere biformem mixtione quadam conflatam disciplinam non minus scite quam

vere nominat. Nimiis principiorum rationis ac Philosophiæ amasiis non immerito etiam Reformati annumerari possunt, cum & ipsos, ut cum *B. Eccardo in Fascic. Controv. Theol. Anti-Calvin. c. 1. q. 1.* loquar, præposterus Philosophiæ amor adeo in transversum rapiat, ut Theologiam â sublimitatis suæ throno infra Philosophiæ cancellos & subsellia dejicere, & hujus principiis illam submittere non vereantur. Equidem hanc culpam omnibus modis â se amoliri student, nec juste ejus â Nostratibus insimulari volunt; crimen tamen hoc citra injuriæ notam ipsis imputari, â venerandis nostris Theologis diu fuit demonstratum. Quamvis enim non omnes cum *Zvvinglio in Colloq. Magpurg.* expressis verbis affirmare audeant, *nihil credendum esse, quod ratione comprehendi nequeat, quia Deus nobis non proponat incomprehensibilia*, neque omnes disserte asserant cum *Goclen. in præfat. Commonef. part. 1. Miscell. Sturm. in Epistol. Ambros. ad Papp. p. 5.* fidem â ratione stabiliri: cum *P. Martyre super lib. Reg.* non tam verbum divinum, quam verba naturæ sequenda esse in Theologia: cum *Keckerm. lib. 1. System. Theol. c. 4. p. m. 50.* Deum lucem Spiritus S. sui per duas illas plane divinas disciplinas Metaphysicam & Logicam in mentibus hominum accendere: & cum Eodem *in Præcognit. Philos. c. 4. p. 80.* per Philosophiam in nobis excitari pietatem, cultum & honorem & invocationem Dei: nec omnium sint lemmata & sententiæ quæ apud *Wittich. in Theol Pacif. §. 133. sq. Wolzogium de interpret. Script. p. 29. seq. Allingam in modestâ defens. p. 87. seq. Velthus. de Usu rationis p. 48. Roelium in disp. de principio cognoscendæ veritatis, Hulsium de principio credendi*, aliosque Cartesianæ Theologiæ sectatores leguntur, cum ab ipsis Reformatorum sectæ ad-

di-

dictis *Petro van Mastricht in Gangr. novit. Cartes. sect. 1. c. 3. & 4. p. 34. seqq. Leydekkero in face verit. loc. 1. controv. 4. & 5. p. 15. seqq. Hubero de concursurationis & scripturæ, Hermanno Witsio in dissert. epist. ad Ulr. Huberum & Joh. Regio in libro de modo percipiendi S. Scripturæ divinitatem* impugnentur, in eo tamen conveniunt, quod varios fidei articulos ex principiis philosophicis impugnent, iisq; dicam falsitatis scribant, quod cum axiomatibus è Philosophia desumtis & è rerum naturalium inductione formatis non conspirant. Conf. omnino *disp. de non sperandà Lutheranorum cum Pontificiis & Calvinianis Unione sub præsid. Magnif. Dn. D. Carpzovii A. 1692. habitam.* Frustra itaque *Voëtius in Corollar. disputationi de ratione humana in rebus fidei select. disp. part. 1. p. 12.* subjecto conqueritur, charitatis defectum esse, quod *Eccardus in fasciculo Contr. c. 1. Stegmannus in Photin. disp. 1. Meisn. in Phil. Sobr. in quæst. generali* Reformatos cum Socinianis componant, quasi rationem faciant fidei principium & normam. Usum rationis & logicæ cum requirant, non magis fundamenta, principia & regulas fidei illa se facere, quàm oculos, aures, linguam, sine quibus religionem nec discimus, nec docemus, nec contra adversarios defendimus. Esse ergo ipsis media & requisita, sine quibus nulla fides aut cognitio theologica: non verò principia, normam, regulam, fundamenta. Ab infaustà Fausti Socini sobole principia philosophica item nimium extolli, omniaque fidei mysteria decempedâ rationis examinari, atque examinata, quod cum eâ non conveniant, ceu absurda respui, satis superque notum est. Loquuntur id scripta à Socinianis luci publicæ exposita, idem ex nostris *Martini, Meisnerus, Stegmanno, Thummius, Calovius, Scherzerus*, ex Reformatis *Maresius, Horn-*

bekius, Spanhemius, ut plures utriusque religionis Theologos Celeberrimos prætermittam, in peculiaribus libris huic sectæ oppositis abunde loquuntur. Ad latus Socinianorum incedunt, quibus ab Arminio nomen adhæsit. Sicuti enim circa ipsos fidei articulos Socinianorum gregi sæpius frigidam affundere, iisdemque pollicem premere solent Arminiani: ita circa mysteriorum cognitionem nimium æque ac Sociniani usui rationis vendicāt. Luculentissimus testis nobis esse poterit *Limborchius* cum in *Theol. Christ. l. 1. c. 12. §. 5. p. m. 46.* expressè scribit: *mysteria à sola ratione investigari non possunt, sed requiritur ut à Deo revelentur: verum postquam ea Deus revelavit, mysteria amplius non sunt, sed à ratione percipiuntur, & optimè secum convenire dijudicantur. Vocantur ergo mysteria non respectu temporis præsentis, quo jam patefacta sunt: sed præteriti, quo adhuc abscondita latebant: nec quia postquam revelata sunt, cum ratione pugnant: sed quia ante suam revelationem à solâ ratione excogitari non poterant.* Pluribus mentem eorum de usu rationis in Theologia exponunt pariter ac refellunt *B. D. Calov. in Consid. Armin. c. 1. §. 7. sqq. Triglandius in Antapol. c. 3. p. 56. sqq. & c. 25 p. 343. seqq. Vedelius in Arcanis Armin. part. I. l. 1. c. 4. part. 2. l. 2 c. 2. p. 74. l. 2. c. 6. p. 99. part. 3. l. 1. c. 4. p. 20. seqq. part. 4. l. 1. c. 4. p. 16. sq.* Nec silentio prætermittendi sic dicti in Angliâ Latitudinarii, cum & ipsi in *discursu de religione* à se edito *part I. c. 4.* nimium rationi humanæ ac philosophiæ circa fidei Christianæ mysteria tribuant. Hypothesis eorundem princeps est, doctrinam Evangelii hujusmodi esse, quæ sit rationalis, seu consona rationi naturali, ex principiis per se evidentibus inferenti claras conclusiones, ut ita ad fidē Evangelii rationibus inducamur seu argumentis moralibus. Vide *Spanhem.* in *Elencho Controvers. p. m. 652. seqq.* Postquam itaque

taque de illis, qui in exosculando rationis ac Philosophiæ usu nimis defixi modum excedunt, satis pro instituti ratione egerim, pergendum quoque foret ad eos, qui Philosophiam contemnunt, & à limine Theologiæ vel planè excludunt, vel exiguam admodum ab illa in hanc redundare utilitatem judicant. Sed cum paginarum angustia non admittat, ut de Philosophiæ contemtoribus nonnulla in medium afferam, in ipsa solenni promotionis panegyri de illis verba facere aggrediar. In præsenti potius honorifica adhuc mentio facienda strenuorum aliquot Philosophiæ Cultorum, quibus Collegium nostrum Philosophicum post varia eaque haud proletaria virtutis ac eruditionis edita specimina supremum in Philosophia honorem publice solenniterq; conferre decrevit. Quorum nomina juxta morem in hac Academia receptum collocata, sunt sequentia:

Gotofr. Hyllerus, Zitta-Lusatus, Pastor Wittgendorff.
Georgius Hahn, Schwidnicensis Silesius.
Johannes Gotofredus Schubartus, Misenensis.
Samuel Barthel, Grimmensis.
Christianus Andreas Böhme, Neohoffensis Misnicus.
Johannes Christophorus Olearius, Querf. Sax.
Hermannus Bernhardus Gedæus, Magdeburgensis.
Johannes Gotofredus Mezner/Neukirchâ-Lusatus.
Johannes Christophorus Roitzsch/Pomsenâ-Misnicus.
Adamus Reinhard Unruhe/Ileburgensis.
Carolus Fridricus Pezold/ Pirnensis.
Christianus Friedericus Neumann/Zittaviensis.
Urbanus Tretsch/Dresdensis.
Abraham Jäschke/ Thoruniensis.
Ludovic. Christophorus Blossius, Rudolphopolitanus.
Georgius Wilhelmus Christ/Grosjenewizensis Silesius.

Got-

Gotfried Feige, Kreibavià Silesius.
Erdmannus Uhsius, Gubenà } Lusati.
David Mötig, Muscavià
Andreas Christophorus Calvisius, Quedlinburgensis.
Theophilus Badstübner, Trevà-Variscus.
Johannes Fridericus Dachseld, Alt-Leisnicensis-Misnic.
Johannes Dieterichi, Annæbergensis.
Augustus Stisser, Obsfeldensis Magdeburgicus.
Caspar Arlet, Olsnensis.
Michaël Heermann, Freibergensis.
Johannes Fridericus Glatz, Nova-forensis } Silesii.
Martinus Beer, Bregensis
Johannes Christianus Kunckel, Wratislaviensis
Johannes Henricus Krause, Marcklissà-Lusatus.
Andreas Baudisius, Lignicio-Silesius.
Johannes Henricus Cnorr, Mülhusà-Thuringus.
Gotofredus Berver, Colbergà-Pomeranus.
Johannes Christianus Hunger, Roswino-Misnicus.
Gotofredus Arnold, Grünhaynensis.
Justus Schöpffer, Quedlinburgensis.
David Vogel, Regiomonto-Borussus.
Abrahamus Schneider / Roswinensis.

Cui solenni Magistrorum renunciationi ut Magnificus Academiæ Rector, illustrissimi Comites, Proceres utriusq; Reipublicæ spectatissimi, nec non selectissima Studiosæ Juventutis concio splendidissima honorificentissimaq; sua præsentia insigne decus conciliare ne graventur, debita observantia ac humanitate rogo, singularem hunc favorem & affectum omni modo ac ratione compensaturus.

LIPSIÆ,
Typis IMMANUELIS TITII.

XI, A.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

XV, A.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg